

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ivsta Fvnebria Henningii Diderici Gether Oldenbvrgeois  
Flebiliter Extincti Indicit Academia Ienensis**

**Gether, Henning Dietrich**

**(Jena), MDCCLXXVII**


**VD18 13155024**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-20609**

159

PROFESSOR  
 ACADEMIAE IENENSIS  
 VNA CRIVSTA FVNEBRIA  
 IVVENIS ORNATISSIMI  
**HENNINGII DIDERICI  
 G E T H E R**  
 OLDENBURGENSIS

FLEBILITER EXTINGTI  
 INDICIT *indicta ab*  
 ACADEMIA IENENSIS.




EX OFFICINA FICKELSCHERRIA  
 clc lccclxxvii.



159 50

HENNI  
 G E  
 FLEBI  
 ACAD  
 ERICI  
 R  
 TI  
 SIS



EX OFFICINA FICKELSCHERRIA  
 clc lccclxxvii.



16

PRORECTOR  
ACADEMIAE IENENSIS  
VNA CVM PROFESSORIBVS RELIQUIS

IMISSISSIMI  
S. B.  
CIVIBVS.

HENNINGII DIDERICI  
G E T H E R



Tristissimum vobis facimus indicium, CIVES, exsequiarum hominis e coetu vestro, multis cari, paucis carissimi, omnibus fere noti, ante etiam, quam casum repentinum atque inopinatum perpeffus est. Abfuit e conuentibus vestris inde ab octauo die Idus Maias, frustra idemtidem requisivistis eum in scholis doctorum, in circulis amicorum, in publicis etiam congressibus; nusquam, quod mirum visum est, adparuit, cum nemini vale dixisset, nemini quidquam, quo spectaret, quo exiret, quid ageret innotescere voluisset. Varia igitur fuit ab illo tempore suspicio, quae quoniam non habebat, quo niteretur, anxios et sollicitos habuit eius amicos et familiares. Pars opinati sunt nescientes qua re inductum, abiisse in aliam academiam; aliorum modo huc, modo illuc, ut sit in re incerta, suspicio inclinavit; plurimorum fuit opinio profectum esse aliquo ad amicum visendum in alio Musarum domicilio degentem, vel ad requiescendum paullisper et recreandum animum ab optimarum artium studiis fatigatum. Tandem, cheu! in eam partem repente constituta est fluctuans opinio et inconstans, qua nemo nostrum vestrumque constitutam velit, siquidem flecti retro possit obscura fatorum via. In gemitus et suspiria res euasit. Rumor est adlatus illo die, qui tertius a Pentecostes feriis nuper agebatur, in vico ab vrbe non procul distante repertum esse cadauer hominis honesti ac iuuenis ad Salae ripam, fluuii a Musarum inclyta sede celeberrimi, amoenissimi, saluberrimi, huic homini, commilitoni, amico vestro, pro dolor! funesti. Bone Deus! quanta tum exstitit animum commotio ac trepidatio. Cateruatim iuistis ad inspiciendam rem tristissimam equis, rhedis, pedibus, ut cuiusque lubitus, occasio, et visendi cupiditas morae impatiens tulit. Redistis, o! quam moesti, dubii,

Subii, quis casus et quomodo praecipitem egerit hominem misellum, quis locus non suspectus visus, quae pars ripae male tuta vestigium secure positum fefellerit.

Lugemus vobiscum omnes, quotquot sumus, patres, salutis vestrae semper cupidissimi, Cives, deliciae nostrae, moerore graui percussi lugemus GETHERI nuper nostri vestrique casum miserandum. Quem parentibus, quem cognatis, affinibus, amicis, quem patriae auctum locupletatumque optimarum doctrinarum cognitione rediturum sospitem laetum, expectatum et speratum augurabamur, huic exanimi ex aquis nobis reddito, vbi dies duodecim delituerat, funus paratur ad supremum officium cum ipsi debitum, tum eius parentibus atque familiae, in patria vel in primis splendidae.

Ante vero, quam vobiscum officio tam illaetabili fungamur, ad sanandum, quantum fieri potest, et tanto vulnere dolorem, in vitae rationes inspicite, quas habuit triste nunc nomen HENNINGIVS DIDERICVS GETHERVS, breuiter hic describendas.

Natum in oppidulo Elsfeth in Ducatu Oldenburgico anno huius saeculi sexto et quinquagesimo patre Viro illustri, potentissimi Daniae regis a consiliis iustitiae et portiorum ad Visurgim exigendorum administratore, matre, matrona primaria illustris Wardenburgi eadem, qua pater dignitate conspicui filia; natum ergo parentes optimi a teneris annis doctoribus domesticis tradiderunt formandum vsque ad sextum decimum aetatis annum tum in religionis purioris nostrae a Luthero nomen sortitae initiis, tum earum artium elementis, quibus tenera aetas in spem litterarum efflorescens imbui solet.

Hoc tempore exacto adolescentis ingenium alacre aluit Gymnasium prouinciale Oldenburgicum, rectore ac praeceptore Denso, viro Clarissimo, qui quam carum in primis habuerit alumnum suum propter industriam aequae ac morum facilitatem haud raro significauit, tum autem declarauit ipse GETHERVS parans abitum in academiam nostram, quam pie coluerit praeceptorem de se promeritum oratione ad Vale dicendum publice habita. Huc ergo delatus anno saeculi nostri supra septuagesimum quinto, autumnali tempore, atque infertus studiosorum albo in scholis philosophicis et iuridicis operam dedit viris illustribus, Excellentissimis, Hellfeldis, Reichardtis, Oelziis, Scheidemanteliis, Wideburgiis; moribus autem mansuetis et ad humanitatem compositis effecit, vt, qui propius eum nosse discerent, diligenter, nouissimo tempore abstractum desiderarent, suspensi et anxii quaererent, repertum, non suauiter, vt solebat, arridentem, non blande adlo-



adloquentem si profecti viderent, et exanimem deplorarent, nunc tan-  
dem recrudescente vulnere in sollempnibus funebribus suspiria clam ducant,  
moestitiamque in vultu vix ac ne vix quidem tegant.

Solent bene morati homines, quando malum aliquod, casus ali-  
quis repente abstulit vel cognatum vel amicum, cui bene cupiant,  
inquirere studiose in eius vitam et mores, et quod laudabiliter, pie,  
temperanter, amice egerit, sibi ob oculos ponere, vt quasi per spe-  
culum in animi penetralia inspiciant atque ex eiusmodi contemplatio-  
ne aliquid referant, in quo perturbatus animus sollicitudinis alleua-  
mentum inueniat, tandemque conquiescat. Discite, CIVES, spes  
nostra, ex improviso malo, quod GETHERVM oppressit, quam  
sit necessarium, etiam in florescente aetate, imo in quocunque vitae  
actu mortem meditari, ita quidem, vt sit pura et sine labe mens,  
recta, nullius neque facinoris neque leuitatis sibi conscia, quam tu-  
tum sit tale vitae degendae institutum ad omnes humanos casus, qui  
obscurae serpunt, et nihil tale cogitantibus tristes haud raro obueniunt;  
quantum denique ad consolandum vim habeat cernere in vita bene  
acta vestigia beatitatis aeternae hominis, cuius calamitate subito nata  
moereant propinqui. Sic adfecti, sic parati ad funeris pompam  
hora post meridiem prima frequentes adeste, ac si orationis lugubris,  
in templo huius urbis primario habendae quasi fulmen aliquod grauiter  
tetigerit animos, facite, vt salutare sit vobis et nunc et per omnem  
reliquam vitam.

P. P. sub sig. acad. die, qui S. S. Trinitati festus agitur, xxv Maii,  
anno a Sotere nato cldo Id cclxxvii.

